VIRO PERILLVSTRI AC SVMME VENERANDO

HERMANNO WILHELMO EDVARDO HENKIO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO

AVGVSTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS

COLLEGII DE IVRE RESPONDENTIVM SOCIO

ORDINIS AQVILAE RVBRAE EQVITI

COLLEGAE SVO GRAVISSIMO ATQVE AESTVMATISSIMO

QVINQVAGESIMA DOCTORATVS SOLENNIA DIE XXIV. SEPTEMBRIS

ANNI MDCCCLVI FELICISSIMIS AVSPICIIS CELEBRANTI

PIE AC SINCERE GRATVLATVR

ORDO IVRECONSVLTORVM IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CVM VITEBERGENSI SOCIATA.

HALIS

FORMIS HENDELIIS.

Dimidium hodierno die saeculum praeteriit, quo Te, Vir Perillustris ac plurimum venerande, doctoris utriusque iuris dignitate ornatum non tam egregii huius honoris accepti memoriam celebrare videmus, quam officii inde Tibi commissi profectus et fructus, vitam a Te per decem lustra fidelis quasi sacerdotii gestam, et animi Tui et corporis alacritatem latis egratisque animis ipsi percipimus. Nam per quinque fere lustra socius noster factus, et de academia et de civitate optime meritus hoc saeculari die non tam Tuos honores denuo accepturus es, quam nobis praebes quidquid gloriae et tempore et meritis in Te collatum est. Ac dum gratulabundi Te salutant omnes templi nostri sodales, tamquam familia, cuius agnatus diem festum agat, donis Tuis fruimur, ac licet imparem Tuo honori ac votis nostris longe inferiorem, solito tamen more ac veniae Tuae spe freti libellum offerimus, quo pietatis nostrae sensus publice significetur. Levius est quam ut suscepto muneri sufficiat, et exigui momenti opusculum, quod unus ex collegis Tuis in huius diei solennitatem

conscripsit: at licet multo maiora sint, quae si circumspicimus praedicentur, hoc ipso tamen, quem videmus, semisaeculari die vota plus valere quam opera novimus, ac pietati magis quam proprio iudicio aut sagacitati satisfacere decet.

Et pietas maxime erga senem excitatur, qui per multorum annorum discrimina et animum et corpus inconcussum servavisti, edocendis adolescentibus studio illibato et summa sapientia agilitateque, litteris denique atque prudentiae iuris totus deditus fuisti. Tantum abest, ut nobis gloriae Tuae interpretibus esse opus sit, ut monumenta a Te ipso tribus in academiis et inter iudices etiam erecta verbis clarius loquantur, quid doctissimus ac peritissimus quisque Tibi debeat: ius criminale praesertim, quae Tua fuit provincia, ita excoluisti, ut non iuvenes soli, sed etiam probati viri et auctoritatem Tuam sequerentur, et eruditione doctrinaque Tua uterentur; et quamquam nostra aetate novarum rerum cupidissima multa evenerunt, quibus iura criminum eorumque ordo iudiciarius immutata sunt, exstat tamen velut fons

inexhaustus liber ante hos triginta tres annos a Te conscriptus, quo de poenis ac delictis veram gentis nostrae indolem ex ipsa iuris ac rerum historia exposuisti. Heu Tu quidem in hoc ipso litterarum genere fatis omnia cedere, valde expertus es, nec quidquam omnino fuit vetustate sancti aut moribus stabiliti, quin intra hos ultimos quos vidimus annos aequales nostri impiis manibus aut tetigerint aut inverterint: Tibi vero nobiscum, vere bona exstirpari non posse, immo suppressa resurgere, quin etiam foeda innovandi cupidorum molimina exitu suo prodesse, magna consolatio esto. Manet enim et vis rebus publicis et hominum animis ab ipso Deo insita, et si dignus vindice nodus, Deus ipse optimus maximus interest. Ac latere aliquando laborum fructus, aut ab aliis tamquam suos percipi nos praesertim, qui academiae et scholarum muneribus fungimur, experientia edocemur. Sicut nec ea amplius academia floret, cuius ab ordine illustri ante hos quinquaginta annos honores doctorales in Te collati sunt, at transiit in aliam eius gloria et fructus atque memoria manent: ita

doctrinae quoque Tuae monumenta, institutionum successus, omnium denique virtutum signa servata, et otio, quod cum dignitate Tibi elegeris, et vitae Tuae supererunt. Recessurum igitur a nostra societate ac veterani merita ac beneficia percepturum Te non nostra solum, sed permultorum, quibus auctor doctrinae fuisti, grata memoria, amor, admiratio comitabuntur, et testimonio Tibi haec decem lustra erunt, quibus acquisivisti, quae nunc Tua sunt. Vale, Vir perillustris, ac fave!

IOHANNIS MERKELII
IVRIS VTRIUSQVE DOCTORIS ANTECESSORIS HALLENSIS

COMMENTATIO

QVA IVRIS SICVLI SIVE ASSISARVM REGVM REGNI SICILIAE FRAGMENTA EX CODICIBVS MANV SCRIPTIS PROPONVNTVR.

Ante hos fere duodecim annos bibliothecae Vaticanae praefecti codicem quendam in membranis scriptum Romae emerunt et in armariis bibliothecae illius pontificiae collocaverunt, quem paulo post, quum Romae degerem, evolvendi mihi summa qua erga me fuerunt benevolentia facultatem praebuerunt. Is liber tum in catalogo nondum receptus, neque numero suo distinctus erat; nec certi quidquam proditum est, cujus antea fuerit; quamquam in prima membrana pictum stemma gentilitium, in eoque leonis erecti ac crucem gestantis signum obvenit.

Duas partes, utramque circa a. 1200 p. Chr. n. scriptam, earumque in priore Lombardam [a] ac fragmenta codicis Iustiniani, in posteriore institutiones Iustiniani, libellos de arbitris [b] et actionibus, fragmenta denique legum quarundam continet, quae unde ortae, aut a quo latae sint, ex codice ejusque verbis non apparet.

In his vero ipsis fragmentis summa libri praestantia posita est, de iisque accuratius tractare et legum textum edere operae pretium mihi videor facturus esse. Sunt capita XLIV praemisso prologo continua serie scripta, et sua cuique fere rubrica, nec numeri vero adscripta sunt.

Jam primo obtutu, qui leges istas perlegerit, Sicularum quas dicimus constitutionum fragmenta agnoscet; mox altius investiganti similitudo quaedam earum legum obveniat necesse est, quae *assisarum regum regni Siciliae* nomine indito, in libro constitutionum Siculárum typis Neapolitanis a. 1786 exarato, ex codice Cassinensi in lucem prodierunt. Neque his assisis vero fragmenta Vaticana ita consentiunt, ut idem liber videantur esse, et ex constitutionum illarum corpore Fridericiano, si unquam confecta epitome est, haec codicis nostri circa a. 1200 conscripti collectio certo non fluxit. Quamquam autem prorsus certi quidquam, qui leges tulerit aut in corpore collegerit, quaeve eum assisis fuerit relatio, afferri nequit: multa tamen vestigia inveniuntur, unde de utroque veri simile aliquid eluceat.

---

[a]) Merkel Geschichte des Langobardenrechts pag. 24.

[b]) Savigny Geschichte des Röm. Rechts im Mittelalter IV, 119.

Primo igitur quin fragmenta codicis Vaticani pro lege sint habenda a rege quodam condita, nemo erit qui dubitet: quum frequens mentio et regis (VII. XI. XVII. XVIII, 4) et regni (VI. XVIII, 4. XIX etc.) et juris regalis (IV) et majestatis (I. II) et solidorum regiorum (XXXIV) facta sit.

Deinde eum regem, qui talia proposuerit, *prostratis hostibus* i. e. bellis felici pace finitis condendo juri operam dedisse ex prologo colligimus: nec tamen omnino novas leges tulisse, immo nonnullas iam exstantes *in presenti corpore* exhibuisse. Praeterea ipsum, sicut *progenitores* ejus Christianae ecclesiae favisse (II seqq.) et proceribus regni, episcopis, baronibus jura majestatis et regia distincte opposuisse quibusdam ex locis (XVIII. XIX) apparet.

Denique longe plurimae leges in Vaticano libro congestae etiam inter constitutiones Siculas a Friderico II imperatore a. 1231 promulgatas obveniunt, adscriptae Rogerio regi, qui primum Siciliae comes, deinde a. 1126 Apuliae dux factus, regiam denique dignitatem a. 1129 adeptus, per 24 annos Normannorum atque Siciliae imperium tenuit.[c] Quarum legum licet nonnullis in editione Lindenbrogiana Friderici imperatoris nomen inscriberetur[d], plerique tamen et optimae notae codices eas a Rogerio rege conditas esse inscriptionibus demonstrant. Haec legum series ita se habet:

Constit. Siculae.	Codex Vaticanus.
I, 3—5	XIII. XVII.
I, 13 (14)	XXXVIII. XXXIX.
I, 19 (20)	XI.
I. 35 (36. 37)	XXV. XXVI.
II, 11	XXXIII.
II, 38, 1 (42)	XV.
II, 46 (50)	XLIV.
III, 1. 2	IV. X.
III, 20, 1 (22)	XXVII.
III, 33, 1 (40)	XXXV.
III, 34, 1 (44)	XXXVI.
III, 39, 1 (59)	XIX.
III, 40 (61—68)	XX. XXI. XXIII—XXV.
III, 42, 1 (70)	XLIII.
III, 43—50 (74—82)	XXVIII, 2—4. XXIX, 1. 4. XXX. XXXI, 2. XXXII.
III, 54—56, 1 (86—88)	XXXVII. XLI. XLII.

c) Romuald. Salernit. ad a. 1153.

d) Const. Sicul. I, 3. 13. II, 11. III, 1. 33. 43.

In constitutionum corpore vero recepta non sunt Vaticani codicis prologus et capita I—III. V—IX. XII. XIV. XVI. XVIII. XXII. XXVIII, 1. 5. XXIX, 2. 3. XXXI, 1. XXXIV. XL. Quorum num idem Rogerius auctor fuerit, haesitaremus quidem, quum exempla alterius legum partis ad alteram trahendi facultas non daretur; nihilominus unius ex istis origo firmo argumento a rege illo deduci potest, ut quae de uno probata sunt, ad alia etiam merito referantur.

In Lombardae scilicet libro duae leges a Rothari quondam rege Langobardorum constitutae, una

> L. 4 Lomb. De his qui insidiando I, 6 (Roth. 383 ed. di Vesme) *Si quis hominem liberum subito surgente rixa per barbam aut per capillos traxerit, componat sol. VI.*

et altera

> L. 20 (27) Lomb. De damno injuria dato I, 19 (Roth. 338 ed. di Vesme) *Si quis caballo alieno caudam capellaverit, idest setas tantum (traxerit), componat sol. VI.*

inveniuntur, quibus damnum et contumelia, inter se maxime diversa, eadem aestimatione puniuntur. Ad eas igitur disertis verbis, reprobato aestimandae injuriae modo respexit auctor capitis Vaticani XXXIV, atque praecepta immutavit. Id vero a Rogerio rege factum esse in expositione quadam Lombardae legimus, quam codex Rhedigeranus duodecimo saeculo in membranis exaratus ac nunc Vratislaviae servatus nobis suppeditavit; ubi nota obvenit legi 4 Lomb. I, 6 adscripta:

> *Hec lex correpta est hodie per regem rog ideo, quia tali pena tenetur quis pro cauda equina.*

At fragmenta tantum et pars juris, quod dici potest Rogeriani, nec corpus ipsum totum atque absolutum in codice nobis traditum est. Nam a Petro de Vinea constitutionum Sicularum auctore etiam aliae leges Rogerio assignantur,

Const. Sicul. I, 6. 36. III, 14, 1. 17. 28. 41 *),

quae in Vaticano codice desunt. Neque hac ex re vero sequitur, ut dubitemus de iis, quae ad istius libri legum originem demonstrandam attulimus; et librarius ipse finem libri deficere videtur indicavisse, quum membranae partem continuando textui vacuam relinqueret.

---

*) In edit. Lindenbrog. constitutionibus III, 29 et 39, 2 Rogerii nomen falso inscriptum est. Num autem edictum de campsoribus propositum, quod nonnullis in codicibus Rogerii legibus III, 40 additum est, vere ad eum pertineat (Matth. de Afflicto comment. ad constit. Sicul. ed. 1535 fol. 321), non liquet.

Interea licet Rogerius rex auctor legum fuerit, librum tamen, cujus pars in Vaticano codice exstat, ab eodem rege congestum ac promulgatum esse, re ipsa defendi non potest; nam vere aliud est leges condere, atque conditas in libro redigere.

Huic quaestioni explanandae praecipuum argumentum ab assisis regni Siciliae repetendum est, quas ut inspiciantur ac fragmentis Vaticanis conferantur, denuo edere volui, recognito textu ad fidem codicis Cassinensis 468 in membranis saeculo XIII exarati, quem V. Cl. Pertzius quondam evolutum descripsit.[f]

Hec assisarum nomine XXXII capita enumerantur, quae Vaticani nostri libri epitomen quandam continent; cujus quamqnam de usu atque origine nihil certi afferri potest, nec Friderici tamen imperatoris nec posteriore aetate, quum liber augustalis sive constitutiones Siculae jam exstabant, confecta est. Ipsa codicis inscriptione auctor operis id se egisse indicavit, ut plurium Siciliae *regum* leges adbreviatas colligeret: neque ad finem vero usque opus perduxisse, aut si perduxit, librarius codicis Cassinensis solam partem descripsisse videtur, quum unius Rogerii regis edicta ac licet unum (ass. XXIX), quod in Vaticano codice deest, tamen ne omnia quidem, quae Vaticanus liber continet, proponantur, omissis scilicet Vaticani codicis prolego et capitibus XVI et XXII. Itaque quum praeter Rogerinm Wilhelmos etiam leges Siculis tulisse ac tres reges solos, post eos vero Germanicos imperatores regnavisse sciamus, opus assisarum aut Wilhelmorum regum tempore aut certe prius quam liber augustalis ederetur, digestum esse jure conjicimus.

Denique dubitari non potest, quin assisae ex eo corpore excerptae sint, cujus pars in Vaticano codice tradita est: id quod tam re ipsa et aspectu, quam verbis ac litteris apparet, in quibus nonnullis (Ass. XIV, 6 motor; XV quomodolibet, preci; XX sinum; XXV subjecti sint) auctor, quum lecta describeret, a vero intellectu mihi videtur aberravisse.

Quae qnum ita se habeant, Vaticana nostra fragmenta pro genuinis alicujus Siculi regis edictis habenda sunt, nec amplius de aetate ambigitur, quia propter codicis ipsius vetustatem ea duodecimo p. Chr. n. saeculo adscribi necesse est. Dubitatio sola inter tres Siciliae reges versatur; et haec quidem dilucidari vix plane potest.

Prologi verbis consideratis, si Rogerium, cui plurimae certo leges adscribendae sunt, eundem corpus juris proposuisse defendimus, hunc codicem post bella cum Lothario imperatore et regni optimatibus gesta, ac post discordias regia cum Romano pontifice sedatas, pacatis rebus circa a. 1140 confectum esse facile persuasum erit. Neque obstat, quod rex ipse majorum suorum, qui ecclesiae privilegia tribuerunt, aut

---

f) Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde V, 312.

g) Romuald. Salernit. ad a. 1132 seqq. Annales etiam Cavenses, Cassinenses, Hildesheimenses, Chronica Fossae novae, Pisana, res ea aetate gestas enarrant. Morte Lotharii imperatoris atque Rainulfi ducis ab imperatore adversus Rogerium in Apulia constituti a. 1139 denique bellis finis impositus est.

legum iam antea a se latarum mentionem fecit; nam inde a Roberto Guiscardo Normannorum duces fere omnes a pontificibus Romanis pendebant, [h] et Rogerius postquam regnum adeptus est, iam anno 1129 edicta quaedam in comitiis Melfitanis proposuerat. [i]

Neque dissimulari vero potest, in verbis Cassinensi epitomae inscriptis satis magnum momentum poni, unde id etiam juris corpus, cujus fragmenta in Vaticano codice exstant, complurium regum leges continuisse concludatur; nam qui excerpsit, proprio Marte libri, quem prae oculis habuit, titulum immutavisse vix putandus est. Tali vero casu nec ante annum 1156 nec ab alio, quam Wilhelmo I rege Siciliae fieri potuisse ut corpus legum conficeretur, argumentis ex rerum historia repetitis docemur. Neque Wilhelmus enim II rex hostium mentionem facere potuit, quippe qui bella intra regni fines non gessisset; et Wilhelmum I, licet *regno suo odibilis et plus formidini quam amori* diceretur, hostibus tamen devictis et pietate ac religione, ut prologi verba sunt, commotum leges in uno libro colligendi consilium cepisse, facile cogitari potest. Nam *fideles suos divitiis et honoribus extulisse, infidelibus supplicia intulisse*, inprimis autem *divino officio multum intentus extitisse et personas ecclesiasticas plurimum veneratus esse* a Romualdo Salernitano, peritissimo aetatis suae scriptore traditur; nec regni auspicia, nisi post varia civilis belli discrimina consecutus esse legitur [k], ut secundo demum imperii anno pax rediret. Quodsi igitur ab hoc rege corpus legum editum, eique idem quod in codice Cassinensi obvenit, assisarum nomen inditum esse putamus, talis liber tempore pacis, quae intra annos 1156 et 1160 vigebat, confectus, ejusque fortasse initium, capita scilicet II—IX, quae clericorum privilegia continent, Wilhelmo, non Rogerio attribuenda sunt.

Haec vero in medio relinquam, dum novis argumentis aliquando certi aliquid affirmari poterit.

---

[h]) Permulta huc afferunt annales, praesertim Romualdi Salernitani ad a. 1118. 1120. 1126. 1127. 1138. Inde a primis temporibus Siciliae duces et reges imperium a pontifice Romano tamquam vasalli a patrono recognoscebant: nihilominus multae exinde discordiae evenerunt.

[i]) Codex chronicorum a Romualdo Salernitano conscriptorum, quem Rev. canonici S. Petri Romani in archivo conservant, ad a. 1130 haec habet: *Dux Rogerius venit Melfim fecitque ibi congregari omnes comites Calabrie, Apulie, Salentie, Britie, Lucanie et Campanie, et episcopos et abbates, jussitque omnibus comitibus, ut sibi filiisque suis i. e. Rogerio et Tancredo omni tempore fideles essent et obedirent preceptis suis, nec in terris eorum furta et latrocinia sinerent esse nec consentirent.*

[k]) Res ea aetate gestae apud Romualdum Salernitanum aliosque Italos chronicorum scriptores leguntur.

In edendo textu utriusque fragmenti codicum Vaticani et Cassinensis fidem sequendam nec verba, nisi librariorum errores manifestos corrigenda duxi; numeros tamen capitibus et paragraphis adscribi et in margine ut locos, qui constitutionum Sicularum corpori respondent, ita assisarum quoque cum Vaticani libri ordine relationem adnotari legentium commodo et ex re fore putavi.

Dignum et necessarium est, o proceres, si quod de nobis et universi regni nostri statu meritis non presumimus. A largitate, divina gratia consecuta, recepimus: divinis beneficiis quibus valemus obsequiis respondeamus, ne tante gracie penitus ingrati simus. Si ergo sua misericordia nobis Deus pius prostratis hostibus pacem reddidit, integritatem regni tranquillitate gratissima tam in carnalibus quam in spiritualibus reformavit, reformare cogimur iustitie simul et pietatis itinera, ubi videmus eam et mirabiliter[a] esse distortam. Hoc enim ipsum, quod ait inspiramentum[b] de munere ipsius largitoris accepimus, dicente ipso: *Per me reges regnant et conditores legum decernunt justitiam*[1]. Nichil enim gratius Deo esse putamus, quam si id simpliciter offerimus, quod eum esse cognovimus, misericordiam scilicet atque justitiam: in qua oblatione regni officium quoddam sibi sacerdotii vendicat privilegium, unde quidam sapiens legisque peritus juris interpretes[c] juris sacerdotes appellat[2]. Jure itaque, qui juris et legis auctoritatem per ipsius gratiam optinemus, eas in meliorem statum partim erigere, partim reformare debemus, et qui misericordiam consecuti sumus, in omnibus eas tractare misericordius, interpretari benignius, presertim ubi severitas earum quandam inhumanitatem inducit. Neque hoc ex supercilio, quasi justiores aut moderatiores[d] nostris predecessoribus in condendis legibus interpretandisve, nostris vigiliis arrogamus, set quia in multis delinquimus et ad delinquendum procliviores sumus, parcendum delinquentibus cum moderantia nostris temporibus apta conveniens esse censemus. Nam et ipsa pietas ita nos instruit dicens: *Estote misericordes sicut et pater vester misericors est*[3]; et rex propheta: *Universe vie Domini misericordia et veritas*[4]; et proculdu-

---

[a]) miserabiliter? [b]) inspiram̄ *cod.* [c]) interpres *cod.* [d]) moderatores *cod.*

[1]) *Proverb. VIII*, 15. [2]) *L.* 1 pr. § 1 *D. De just. et jure* I, 1. (Ulpianus) Jus est ars boni et aequi. Cujus merito quis nos sacerdotes appellet. [3]) *Luc. VI*, 36. [4]) *Psalm. XXV*, 10.

bio tenebimus, quia judicium sine misericordia erit ei, qui judicium fecerit sine misericordia. Volumus igitur et jubemus, ut sanctiones, quas in presenti corpore sive promulgatas a nobis, sive compositas vobis[e] facimus exiberi, fideliter et alacriter recipiatis.

I.

De legum interpretatione.

Leges a nostra majestate noviter promulgatas, pietatis intuitu asperitatem nimiam mitigantes, mollia quodam moderamine exacuentes, obscura dilucidantes, generaliter ab omnibus precipimus observari: moribus, consuetudinibus, legibus non cassatis pro varietate populorum nostro regno subjectorum, sicut usque nunc apud eos optinuit, nisi forte nostris his sanctionibus adversari quid in eis manifestissime videatur.

II.

De privilegio sanctarum ecclesiarum.

Noverint ergo omnes nostre potestati subjecti: quoniam in voto nobis semper fuit et erit ecclesias Dei, pro quibus Dominus Jhesus sanguinem suum fudit, protegere, defensare, augere modis omnibus, sicut et projenitores nostri consueta liberalitate id ipsum facere studuerunt, ideoque multa et innumera beneficia adeo consecuti sunt semper in melius: itaque sacrarum ecclesiarum res omnes et possessiones in nostra post Deum et Sanctos eius custodia collocatas atque commissas ab omnibus incursibus malignantium gladio materiali nobis a Deo concesso[f] defendimus et inviolatas custodimus. Principibus, comitibus, baronibus et omnibus nostris fidelibus comendamus sciturisᵍ, quod nostrum decretum quisquis violare voluerit, nostram se sentiat ledere majestatem.

e) nobis cod. f) concessas cod. g) scit i cod.

III.

Monitio generalis.

Monemus principes, comites, barones, majores atque minores, archiepiscopos, episcopos, abbates, cunctos denique, qui subditos habent cives, burgenses, rusticos sive cujuscumque professionis homines, eos humane tractare, misericordiam adhibere, maxime cum debitum adjutorium conveniens et moderatum volunt[a] ab ipsis, quos habent subditos, postulare. Gratum enim Deo faciunt et nobis maximum gaudium, cujus potestati atque regimini divina dispositio tam prelatos subdidit, quam subjectos. Quodsi fuerit neglectum, nostram spectabit sollicitudinem male factum in melius reformare.

IV.

De rebus regalibus.

Scire volumus principes nostros, comites, barones universos, archiepiscopos, episcopos, abbates: quicumque de regalibus nostris magnum vel modicum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio possit ad nostra regalia pertinens alienare, donare vel vendere, vel in totum vel in partem minuere, unde jura rerum regalium minuantur aut subvertantur sive aliquod etiam dampnum patiantur. Const. III, 1.

V.

De sanctarum reliquiarum venditione.

Sancimus nemini licere martirum vel quorumcumque Sanctorum reliquias vendere vel çomparare. Quodsi presumptum fuerit, nondum pretio numerato nichil est consecuturus, si venditor emptorem voluerit convenire; si autem numeratio facta est, emptori repetitionem non esse, fiscum vero vendicare. Nostram spectabit providentiam temeritatem contrahentium cohercere, et ubi decuerit reliquias cum consilio antistitum collocare.[5]

---

[a]) valēt *cod.*

[5]) *cf. const.* 26 *Cod. De episc. et clericis I,* 3.

VI.

De confugio ad ecclesiam.

Presente[6] lege sancimus per loca regni nostri omnia Deo propitio in perpetuum valitura: nullos penitus cujuscumque condicionis de sacrosanctis expelli ecclesiis aut protrahi confugas, nec pro his venerabiles episcopos aut yconomos exigi, que debentur[4] ab eis: qui hoc moliri aut facere presumpserint[5], capitis periculo aut bonorum omnium amissione plectendis. Interim confugis victualia non negentur. Sane si servus aut colonus aut servus glebe se ipsum subtraxerit domino, vel furatus res ad loca sancta confugerit, cum rebus, quas detulit, domino presentetur, ut pro qualitate commissi subeat ultionem, aut intercessione procedente pietati restituatur et gracie. Nemini quippe jus suum est detrahendum.

VII.

De privilegiis ecclesiarum non violandis.

Si[7] venerabilis ecclesie privilegia cujuscumque fuerint temeritate violata dolove suppressa, commissum juxta dampnositatem ecclesie compensetur; quod si non sufficiat ad condempnationis mulctam, regis judicio vel officialium arbitrio committetur. Nichilominus pro qualitate commissi regis providentie vel officialium arbitrio subjacebit.

VIII.

De episcoporum privilegio.

1.

Episcopus[8] ad testimonium non flagitetur, nisi forte in causis ecclesiasticis vel publicis, cum necessitas aut regis auctoritas postulaverit.

2.

Presbiteri non cogantur corporale sacramentum in negotiis exibere.

---

4) q̄d debent̄ *cod.* 5) presumpserit *cod.*

6) *ex const.* 6 *Cod. De his qui ad eccl. confug. I,* 12. 7) *cf. const.* 13 *Cod. De episc. et cler. I,* 3. 8) *ex const.* 7 *Cod. l. c.*

3.

Diacones[9], subdiacones et infra positos altaris sacri ministros ab obsequiis sordidis alienos esse precipimus.

4.

Presbiteros tantum, non etiam ceteros, omnibus angariis personalibus prohibemus.

IX.

De illicitis conventiculis.

Conventiculam[10] illicitam extra ecclesiam in privatis edibus celebrari vetamus: proscriptionis domus periculo inminente, si dominus ejus in eam clericos novam vel tumultuosam conventiculam celebrantes susceperit non ignarus.

X.

De ascripticiis volentibus clericari.

1.

Ascriptitios[11] sine voluntate et assensu eorum, quorum juri subditi sunt et potestati, nullus episcoporum ordinare presumat, neque de aliena parrochia per litteras commendatorias secundum canonum instituta vel ab episcopo, vel a proprio capitulo. Hii, quorum ascripticii sunt, si quod premium pro data licentia consecrandi suscepisse convicti fuerint, jus ascripticii[l] perdant, qui dedit pecuniam, ab ordine cadat, fisco vero cum omnibus rebus suis vendicetur. Const. III, 2.

2.

Solet[m] sancto voto atque proposito sanctis occasionibus pravitas se ingerere et Dei servitium atque ecclesie ministerium perturbare. Ne ergo sinistrum aliquid aliquando possit nostris institutionibus obviare: si forte in rure vel in vico ecclesia assignatos habuerit sacerdotes, quibus decedentibus[n] sint alii [subrogandi, et][o] domini ruris

---

l) hujusce ascriptii *cod.* m) solent *cod.* n) descendentibus *cod.* o) *haec verba ex Friderici constitutionibus restituta in codice desunt, eorumque loco spatium vacat.*

9) *cf. const.* 6 *Cod. De episc. et cler. I,* 3. 10) *ex const.* 15 *Cod. l. c.* 11) *cf. const.* 16. 37 *Cod. l. c.*

vel vici super ascripticiis episcopo fieri subrogationem negaverint, presertim cum ex ipsis ascripticiis persona ydonea ab episcopo expectatur: dignum nostre clementie[p] videtur atque justissimum ad justam petitionem ecclesie ascripticiorum dominum jure cogendum; filii vero decedentis presbiteri ad ascripticiorum condicionem reddantur[q], omni occasione remota.

XI.

De raptu virginum.

Const. I, 19 (20). Si[12] quis rapere sacratas Deo virgines aut nondum velatas causa jungendi matrimonium presumpserit, capitali pena feriatur, vel alia pena, quam regia censura decreverit.

XII.

Judeus, paganus servum christianum nec vendere nec comperare audeat nec ex aliquo titulo possidere seu pignori detinere. Quod si presumpserit, omnes res ejus infiscentur et curie servus fiat. Quem si forte ausu[r] nefario[r] vel suasu circumcidi vel fidem abnegare fecerit, capitali supplicio puniatur[13].

XIII.

De apostatantibus.

Const. I, 3. Apostatantes a fide catholica penitus execramus, ultionibus insequimur, bonis omnibus spoliamus: a professione vel voto naufragantes legibus coartamus, successiones tollimus, omne jus legitimum abdicamus[14].

XIV.

De joculatoribus.

Mimi[15] et qui ludibrio corporis sui questum faciunt, publico habitu

---

p) camere *corr.* clementie *cod.* q) reddat̄ *cod. fortasse* redeant, *sicut in Friderici constitutionibus.* r) ausu vel nefario *cod.*

12) *ex const.* 5 *Cod. De episc. et cler. I*, 3. 13) *ex const.* 18 *Cod. De jud. et coelic. I*, 9 *et const* 1 *Cod. Ne christ. manc. I*, 10. 14) *cf. tit. Cod. De apost. I*, 7. 15) *ex const.* 4 *Cod. De episc. aud. I*, 4.

earum virginum, que Deo dicate sunt, vel veste monachica non utantur nec clericali si fecerint, verberibus publice afficiantur.

XV.

De pupillis et orphanis.

1.

Pupillis et orphanis pietatis intuitu multa privilegia priscis legibus confirmata pro qualitate temporum, quibus obsoleverunt* in ultimo, delegamus, nostris judicibus, ubi jactura tollerabilis non est, favorabiliter comendamus.

2.

Mulieribus nichilominus, ubi non modice lese sunt, propter fragiliorem sexum legum equitatem sectantes tam per nos quam per officiales nostros ex pietatis visceribus subveniendum decrevimus, sicut decet et oportet. Const. II, 38, 1.

XVI.

De indigne anelantibus ad sacerdotium.

Nemo sacerdotum dignitatem pretio petere audeat, contumeliam pro premio reportaturus et penam, mox ut fuerit propria petitione detectus. Ille enim honore se privat, qui inpudenti fronte velud inportunus expostulat.

XVII.

De sacrilegis.

Disputari[10] de regis judicio, consiliis, institutionibus, factis non Const. I, 4.
oportet. Est enim par sacrilegio disputare de ejus judiciis, institutionibus, factis atque consiliis, et an is dignus sit, quem rex elegerit aut decernit. Multe leges sacrilegos severissime punierunt; set pena ibid. 5.
moderanda est arbitrio judicantis, nisi forte manu facta templa Dei fracta sunt violenter, aut dona et vasa sacra noctu sublata sunt: hoc enim casu capitale est.

---

*) absoluerint *cod.*

10) *ex const.* 3 *Cod. De crim. sacril. IX,* 29.

XVIII.

De crimine majestatis.

1.

Quisquis[17] cum milite uno vel cum pluribus, seu privato scelestam inierit factionem, aut factionis dederit vel susceperit sacramentum, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis et consistorio nostro intersunt, cogitaverint et tractaverint: eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt; ipse quidem utpote reus majestatis gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco addictis; filii vero ejus nullum beneficium sive a nostro beneficio, seu jure consensum optineant. Sit ei mors solacium et vita supplicium. Quod si quisquam de factiosis mox sine mora factum[t] detexerit, veniam et gratiam mox consequatur[u].

2.

Crimen[18] majestatis post mortem rei etiam incipit et tractatur, rei memoria condempnatur, adeo ut quicquid contraxerit, fecerit, statuerit a die criminis, nullam habeat firmitatem, sed omne quod habuit fisci juribus vendicetur.

3.

Hoc crimine qui parentem purgaverit, ejus successionem meretur.

4.

Hoc crimine [tenentur][v] omnes, quorum consilio fugiunt obsides, armantur cives, seditiones moventur, concitantur tumultus, magistratus necantur, exercitus deseritur, ad hostes fugitur, socius perditur, dolo malo cuneus discinditur, bellis ceditur, arx desolata[w] relinquitur, sociis auxilium denegatur, ceteraque hujusmodi, sicut regii consilii explorator, summissor et publicator, et qui susceperit hospitio hostem regni et ductum prebuerit non ignarus.

---

t) factā *cod.* u) sequatur *cod.* v) *haec vox ex assisiis restituta deest in codice.* w) ars desolatā *cod.*

17) *ex const. 5 Cod. Ad leg. Jul. majest. IX, 8.* 18) *ex const. 6 Cod. l. c.*

XIX.

De nova militia.

Divine justitie consentientes probanda probamus, contrarium refutamus. Sicut[6] enim nullatenus exasperandi sunt boni, ita beneficiis non sunt fovendi mali. Sancimus itaque tale proponentes edictum, ut si quicumque novam militiam arripuerit contra regni nostri beatitudinem atque pacem sive integritatem, militie nomine et professione penitus decidatur, nisi forte a militari genere per successionem duxerit prosapiam. Idemque[7] statuimus de sorcientibus qualiscumque professionis ordinem, ut puta si vel antoritatem judicii optinuit, sive notariorum officium, ceterisque similibus. Const. III, 39 (59).

XX.

De falso.

Qui litteras regias mutat, aut quas ipse scripsit, notho sigillo subsignat, capitaliter puniatur. Const. III, 40, 1 (61).

XXI.

De cudentibus monetam.

1.

Adulterinam monetam cudentibus vel scienter eam accipientibus penam capitis irrogamus et eorum snbstantiam publicamus. Consentientes etiam hac pena ferimus[19]. ibid. 2 (62).

2.

Quicumque nummos aureos vel argenteos raserint, tinxerint vel quocumque modo imminuerint, tam personas eorum qnam bona omnia pnblicamus[20]. ibid. 3 (63).

XXII.

Ubi[21] questio falsi inciderit, diligens inquisitio mox sequatur argumentis, testibus, collatione scripturarum et aliis vestigiis veritatis: non

---

[6]) sic *cod.* [7]) ideoque *cod.*

[19]) *cf. const.* 1. 2. *Cod. De falsa mon. IX,* 24. [20]) *cf. fragm.* 8 *D. Ad leg. Corn. de fals. XLVIII,* 10. [21]) *ex const.* 22 *Cod. Ad leg. Cornel. de fals. IX,* 22.

solum accusator probationibus honeretur, sed inter utramque personam judex sit medius, ut omnibus, que competunt, exquisitis demum sententiam ferat, capitali post probationem supplicio secuturo, si id exigat magnitudo supplicii, vel alia pena pro qualitate delicti.

XXIII.

De falso instrumento.

1.

Const. III, 40, 4 (64). Qui falso instrumento nescius utitur, falsi crimine non punitur[32].

2.

ibid. 5 (65). Qui falsitatem testibus astruxerit falsi pena cohercetur[33].

XXIV.

De abolitione testamenti.

1.

ibid. 6 (66). Amotor[a] testamentorum, publicorum instrumentorum celator, deletor[b], perversor eadem pena tenetur[33].

2.

ibid. 7 (67). Si quis patris testamentum deleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privatur.

XXV.

De officialibus publicis.

ibid. 8 (68). Const. I, 35, 1 (36). Qualitas persone gravat et relevat penam falsi. Officiales reipublice vel judices[34], qui tempore amministrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii crimini peculatus capite puniantur, nisi regis pietas indulserit.

---

[a]) mator *cod.* [b]) delator *cod.*

[32]) *cf. const.* 4 *Cod. Ad leg. Cornel. de fals. IX*, 22. [33]) *ex const.* 14 *Cod. l. c.* [34]) *ex const. un. Cod. De crim. pecul. IX*, 28.

XXVI.

De bonis publicis.

1.

Qui sua negligentia bona publica deperire vel minui permiserit, in persona propria et rebus suis constituetur[b] obnoxius; et hoc prospectu pietatis regie. Const. I, 35, 2 (37).

2.

Qui sciens furatus assensum prebuerit, eadem lege tenetur.

XXVII.

De conjugiis legitime celebrandis.

Quoniam ad curam et sollicitudinem regni pertinet leges condere, populum gubernare, mores instruere, pravas consuetudines extirpare: dignum et equum visum est nostre clementie quandam pravam consuetudinem, que quasi clades et lues hucusque per diuturna tempora partem nostri populi prorependo pervasit, edicti nostri mucrone decidere, ne liceat vitiosas pullulas de cetero propagare. Absurdum quippe moribus, repugnans sacrorum canonum institutis, christianis auribus inauditum est matrimonium velle contrahere, legitimam sobolem procreare, indivisibile vite consortium alligare, nec Dei favorem et gratiam in ipsis nuptiarum instabulis querere et tantum in Christo et ecclesia, ut dicit apostolus[25], sacramentum confirmandum per sacerdotum ministerium creare. Sancimus itaque lege presenti Deo propitio perpetuo Const. III, 20, 1 (22). valitura, volentibus omnibus legitimum contrahere matrimonium necessitatem imponi, quatinus post sponsalia nuptias celebraturi[c] sollempniter quisque pro suo modulo seu commodo limen petant ecclesie [et][d] sacerdotum benedictionem; post scrutinium consecutum anulum ponat pretii, postulationique sacerdotali subdantur, si volunt futuris heredibus successiones relinquere. Alioquin noverint amodo molien-

---

b) constituet *cod.* c) celebranti *cod.* d) *deest vox in codice.*

25) *Paul. ad Ephes. V,* 32.

tes contra nostrum regale preceptum neque ex testamento neque ab intestato se habituros heredes legitimos, ex illicito per nostram sanctionem matrimonio procreatos; mulieres etiam dotes et aliis nubentibus legitime debitas non habere. Rigorem cujus sanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis ejus tempore jam matrimonium contraxerunt. Viduas vero volentibus ducere hujus necessitatis vinculum relaxamus.

XXVIII.

De adulteris.

1.

Generali lege presente sancimus pietatis intuitu, cui viscera tota debemus: quotiens a nostra provisione et ordinatione jura regentibus accusatio adulterii aut stupri fuerit presentata, oculo non caligante personam despicere, condiciones notare, etates et consilium animi investigare, si deliberatione vel consultatione vel lubrico etatis proruperint ad facinus vel prolapse sint, utrum earum fortuna tenuis sit an torosa, petulantia stimulate fuerint an dolore maxime maritali: ut his omnibus perquisitis, probatis vel manifestis non de rigore juris, set de lance equitatis super commissis excessibus lenior vel asperior sententia feratur. Sic enim perfecta justitia divine justitie respondebit; nam nec nos poterit ...... * illa * divina sententia: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*[16].

2.

Const. III, 43 (74). Legum igitur asperitate lenita non ut olim gladio agendum, set rerum ad eam pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato vel alio non habuerit; periniquum est successione quippe fraudari, qui nati sunt eo tempore, quo thori lex le-

---

*) poterit illa *cod. fortasse* fugere *ommissum est.*

[16]) *Matth. VII*, 2.

galiter servabatur. At[f] viro tradenda est nullatenus ad vite periculum sevituro, set ultionem thori violati nasi truncatione[27], quod sevius et atrocius inducitur, persecuturo: ultra enim neque viro neque parentibus sevire licebit. Quodsi vir ejus noluerit in eam dare vindictam, nos hujusmodi maleficium non sinemus inultum, precipimus publice flagellandam[g].

3.

Qui coram se spectante vel arbitrio permittit cum ganeis suam Const. III, 44 (75).
conjugem lascivire, non facile poterit vero judicio accusare; viam quippe mechandi aperit qui, cum possit prohibere, consentit.

4.

Quamvis uxorem suspectam quis habeat, eum lenocinii non dam- Const. III, 45 (76).
namus[28]. Quis enim alieni thori jure inquietet quietem? Quodsi patenter deprehendimus quempiam habere uxorem questuosam, dignam nostris temporibus mox sequimur pene vindictam; eum quoque pena infamie condempnamus.

5.

Femine[29] penitus et adulterii et stupri severitate judiciaria prestentur inmunes, quas vilitas vite dignas legum observatione non credidit.

XXIX.

De eodem.

1.

Que passim venalem formam exibuit et vulgo prostitutam se Const. III, 46 (77).
prebuit, hujus criminis accusationem ammovit[30]; violentiam tantum ei ingeri prohibemus, et inter boni testimonii feminas ei habitationem denegamus.

---

f) aut *cod.* g) flagellandum *cod.*

27) *cf. const. 37 (ex basilicis restit.) Cod. Ad legem Jul. de adult. IX, 9.* 28) *ex const. 2 C. l. c.* 29) *ex const. 29 C. l. c.* 30) *ex const. 22 C. l. c.*

2.

Adulter adultera simul accusari non possunt[11]; alter singulariter est accusandus, et rei exitus expectandus[12]. Nam si adulter defendi poterit, mulier est secura, nulli ulterius responsura; si vero fuerit condempnatus, tunc demum mulier accusatur.

3.

Lex delectum non facit, quis primum conveniri debeat. Set si uterque presens est, vir conveniendus est primum.

4.

Const. III, 47 (78). Repudium in accusatione est semper permittendum, neque violentia seu detentio est adhibenda.

XXX.

De lenocinio.

1.

Const. III, 79. Lenas, sollicitantes alienam scilicet castitatem, genus criminis pessimum, tamquam ipsas adulteras puniendas presenti lege sanccimus.

2.

Const. III, 48 (80). Matres, virgines filias venalicias proponentes et maritalia federa fugientes, ut lenas ipsas prosequimur, scilicet ut nasus ejus abscidatur. Castitatem enim suorum viscerum vendere inhumanum est et crudele. Quodsi filia se ipsam prostituerit, mater vero solummodo consentit, judicum arbitrio relinquatur.

XXXI.

De violatione thori.

1.

Si providentia regie celsitudinis nullo modo patitur inter regni nostri limitem[a] baronum nostrorum quemlibet alterius castrum invade-

---

[a]) militem *cod.*

[11]) *ex const.* 8 *C. Ad leg. Jul. de adult. IX*, 9. [12]) *ex fragm.* 32 §. 1 *D. Ad leg. Jul. de adult. XLVIII*, 5.

re, predas committere, cum armis insurgere, vel iniqne fraudari, quin pro commisso bonorum omnium jactura ipsum afficiat: quanto amplius dampnandum censemus, si compatris et vicini thorum violare presumpserit? Intolerabile prorsus de jure videtur. Sancimus itaque, si de tali facto nobis aliquando fuerit proclamatum, manifestum fuerit vel probatum, bonorum omnium mulctatione plectendum.

2.

Si maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam uxorem quam adulterum occidere licebit, nulla tamen mora protracta. Const. III, 49 (81).

XXXII.

De adulterio.

Lex maritum lenocinii pena coherect, qui uxorem in adulterio deprehensam retinuerit, adulterumque dimiserit[33], nisi forte sine sua culpa ille diffugit. Const. III, 50 (82).

XXXIII.

De desistentibus ab accusatione.

Qui[34] post crimen adulterii intentatum uxorem receperit, destitisse videtur; ideoque suscitare questionem ultra non poterit. Const. II, 11.

XXXIV.

De injuriis privatis personis illatis.

Quod juri et rationi est consentaneum, satis vere cunctis est gratum: et quod a ratione equitatis discrepat, universis ingratitudinem representat. Nulli igitur mirum, si quod in homine Deus carius et dignius posuerit, cum negligitur atque despicitur et inprobo judicio vilipenditur, sapiens et honestatis amicus rationabiliter indignatur. Quid enim absurdius quam equa lance pensari, ubi jumenti cauda decerpitur et ubi honestissimi viri barba depilatur[35]? Pro suggestione igitur populi nostro regno subjecti atque supplicatione, legum suarum

---

[33]) *ex fragm.* 29 *pr. D. Ad leg. Jul. de adult. XLVIII*, 5. [34]) *ex fragm.* 40 §. 1 *D. l. c.*
[35]) *cf. supra pag.* 11.

ineptitudinem cognoscentes, hanc legem et edictum proponimus, ut cuicumque de popularibus ex cusato tamen et deliberatione barba fuerit depilata, reus talis commissi pena hujusmodi feriatur, solidis aureis scilicet regiis sex; si vero in rixa factum fuerit sine deliberatione et studio, de eisdem solidis III.

XXXV.

De injuriis personis illatis curialibus.

Const. III, 33, 1 (40). Observent diligentissime judices, ut in actione injuriarum[i] curialium dignitatem personarum considerent et juxta personarum qualitatem sententiam ferant, eorum scilicet, quibus fuerint, et eorum, qui faciunt: et quando [et][k] ubi temeritas presumitur, et justa qualitatem personarum sententiam ferant. Ipsis autem facta injuria non ad ipsos dumtaxat, set etiam ad regie dignitatis spectat offensam.

XXXVI.

De mederi volentibus.

Const. III, 34, 1 (44). Quisquis amodo mederi voluerit, officialibus et judicibus[l] nostris se presentet, eorum discutiendus judicio[16]. Quod si sua temeritate presumpserit, carceri constringatur bonis ejus omnibus publicatis. Hoc autem prospectum est, ne quilibet regno nostro subjecti periclitentur imperitia medicantium.

XXXVII.

De plagiariis.

Const. III, 54 (86). Qui sciens liberum hominem vendiderit, hac pena legitima teneatur, ut ex bonis suis venditus redimatur; ipse vero maleficus curie nostre servus sit, bonorum suorum residuo publicato. Quodsi non poterit redimi, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis ejus curie additis. Quocumque autem [casu][m] venditus redeat, maleficus curie

---

i) juriararum *cod.* k) *haec vox ex assisis restituta deest in codice.* l) uicibus *cod.* m) *haec vox ex assisis restituta deest in codice.*

16) *cf. const.* 10 *Cod. De profess. et med. X,* 52.

servus fiat, filiis etiam post hunc casum nascentibus subjectis curie perpetue servitutis.

XXXVIII.

De siccariis.

Qui[37] aggressorem vel latronem in dubio vite discrimine constitutus[n] occiderit, nullam ab id factum calumpniam metuere debet. Const. I, 13 (14).

XXXIX.

De infantibus et furiosis.

Infans[38] sine malignitate animi et furiosus si hominem occiderit, non tenetur. Quia alterum innocentia consilii, alterum fati infelicitas excusat. ibid.

XL.

De fure.

Nocturnum furem qui occiderit, inpune ferat[39], si aliter conprehendi non potuerit, dumodo clamore id fiat.

XLI.

De incendiariis.

Qui dolose domum incenderint capitis pena plectentur, velud incendiarius[40]. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus; nichil enim interest, occidat quis an mortis causam prebeat. Const. III, 55 (57).

XLII.

De precipitatoribus.

Qui de alto se ipsum precipitat et hominem occiderit, et ramum incautus prohiciens non proclamavit, seu lapidem ad aliud jecit hominemque occidit[41], capitali sententia feriatur. Const. III, 56, 1 (58)

---

n) constitutis cod.

37) *ex const.* 2 *Cod. Ad leg. Corn. de sicar. IX,* 16. 38) *ex fragm.* 12 *D. Ad leg. Corn. de sicar. XLVIII,* 8. 39) *ex fragm.* 9 *D. l. c.* 40) *cf. fragm.* 28 § 12 *D. De poenis XLVIII,* 19. 41) *ex fragm.* 7. *D. Ad leg. Corn. de sicar. XLVIII,* 8.

XLIII.

Const. III, 42, 1 (70). Poculum[12] amatorium vel aliquem cibum noxium quisquis instruxerit, etiamsi neminem leserit, inpunis non erit.

XLIV.

Si judex litem suam fecerit.

1.

Const. II, 46, 2 (50). Judex si accepta pecunia reum quem criminis et mortis fecerit, periculo capitis subjacebit.

2.

ibid. 1 (50). Si judex frauduleuter atque dolose sententiam contra leges protulerit, auctoritate judiciaria inrecuperabiliter cadat, notetur infamia, rebus ejus omnibus publicatis. Quodsi ignorantia a juris sententia oberraverit, ferens judicium pro simplicitate animi manifesta, regie misericordie et providentie sujacebit.

---

[12]) *cf. fragm.* 38 §. 5 *D. De poenis XLVIII,* 19.

ASSISE REGUM REGNI SICILIE.

Leges a nostra majestate noviter promulgatas generaliter ab omnibus precipimus observari, moribus, consuetudine et legibus non cassatis, nisi forte his nostris sanctionibus adversari quid in eis manifeste videatur. Cod. Vat. I.

I.

De privilegiis ecclesiarum.

Primo itaque jura sanctarum ecclesiarum, res omnes et possessiones earum in nostra post Deum et Sanctos ejus custodia collocatas ab omnibus incursibus malignantium gladio materiali a Deo nobis concesso defendimus et inviolatas custodimus. Quisquis hoc nostrum decretum violare voluerit, nostram senserit ledere majestatem. II.

II.

Ut domini subjectos humane tractent.

Monemus principes, comites et barones, omnesque dominos subjectos humane tractare, misericordiam adhibere, maxime cum debitum adjutorium et moderatum et conveniens volent ab ipsis, quos habent subjectos, postulare. III.

III.

Ut regalia non minuantur.

Quicumque de regalibus nostris magnum vel modicum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio possit ad nostra regalia pertinens donare, vendere vel alienare, vel in totum vel in partem minuere. IV.

IV.

De sacrosanctis ecclesiis et episcopis et clericis.

1. Sancimus nemini licere Sanctorum reliquias vendere vel comparare. V.

2. Sancimus sub capitis periculo nullos penitus cujuscumque condicionis de sanctis ecclesiis expelli aut protrahi confugas, nec pro his venerabiles episcopos vel iconomos exigi, que debentur ab eis; nec ipsis confugis interim victualia negentur. Servus vero, colonus seu gleba servus subtrahens se domino, vel furatus res, ad loca sacra confugiens, cum rebus, quas detulit, domino presentetur. VI.

3. Privilegia ecclesiarum inconcussa serventur. VII.

VIII. 4. Episcopus ad testimonium non flagitetur, nisi forte in causis ecclesiasticis vel publicis, et cum summa necessitas aut regis auctoritas postulaverit. Diaconos et subdiaconos et infra positos altaris sacri ministros ab obsequiis sordidis alienos esse precipimus. Presbiteros vero tantum, non etiam ceteros, ab angariis personalibus prohibemus.

V.

De illicitis conventiculis.

IX. Conventicula illicita extra ecclesiam in privatis edibus celebrari vetamus.

VI.

Ne servi vel adscriptitii clericentur.

X. 1. Adscriptitios sine voluntate eorum, quorum juri subditi sunt, nullus episcoporum ordinare presumat.

XII. 2. Judeus, paganus servum christianum nec comparare audeat, nec ex aliquo titulo possidere.

VII.

De joculatoribus.

XIV. Mimi et mime et qui ludibrio corporis sui questum faciunt, publico habitu veste monachica vel clericali non utantur; quod si fecerint, verberibus publice afficiantur.

VIII.

De raptu.

XI. Si quis rapere sacratas virgines aut nondum velatas causa jungendi matrimonio presumpserit, capitali pena feriatur.

IX.

De apostatis.

XIII. Apostatas insequimur ultionibus, bonis omnibus spoliamus. A professione vero naufragantes seu voto legibus coartamus, successiones tollimus, omne jus legitimum abdicamus.

X.

De pupillis et orphanis.

XV, 1. 1. Leges, que pro pupillis et orphanis faciunt, relevamus.

ib. 2. 2. Mulieribus lesis ex pietatis visceribus propter fragiliorem sexum subveniendum decrevimus, sicut decet et quatenus oportet.

XI.

De sacrilegis consiliis.

XVII. 1. Disputari de regis judiciis, consiliis, institutionibus et factis non oportet: talis disputatio par sacrilegio computatur.

ib. 2. Multe leges sacrilegos severissime punierunt; set pena moderata est arbitrio judicantis,

nisi forte manu facta templum Dei fractum est violenter, aut dona et vasa sacra noctu sublata sunt hoc enim casu capitale est.

XII.

De crimine majestatis.

1. Quisquis cum milite suo aut pluribus seu privato*) scelestam inhierit factionem, aut factionis dederit vel susceperit sacramentum; de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis et consistorio nostro intersunt, cogitaverit et tractaverit: eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt. Ipse quidem utpote reus majestatis, gladio feriatur, bonis ejus fisco addictis. Filii vero ejus nullum umquam beneficium sive a nostro beneficio sive jure confertum optineant. Sit ei mors solatium et vita supplicium. Quod si quis de factiosis mox sine mora factum detexerit, et premio a nubis et honore donabitur. XVIII, 1.

Is vero qui usus fuerit factione, si sero, tamen incognita adhuc patefecerit conciliorum archana, absolutione tantum ac venia dignus habebitur; sic tamen, si suis assertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam et premium a nostra clementia consequetur: alioquin capitali pena plectetur.

2. Crimen majestatis post mortem incipit et tractatur, et rei memoria condempnatur, adeo ut quicquid contraxerit, statuerit a die criminis, non habeat firmitatem. ib. 2.

3. Hoc crimine qui parentem purgaverit, ejus successionem meretur. ib. 3.

4. Hoc crimine tenentur omnes, quorum consilio fugiunt obsides, armantur civis, seditiones moventur, concitantur tumultus, magistratus necantur, exercitus deseritur, ad hostes fugitur, dolo malo cuneus scinditur, socius proditur, bellis ceditur, arx desolatur vel relinquitur, sociis auxilium denegatur, ceteraque bujusmodi, ut regii consilii explorator sive missorum publicator et qui susceperit hostes regni hospitio vel ductum prebuerit non ignarus. ib. 4.

XIII.

De injuriis curialium.

Observent judices diligentissime, ut in actionem injuriarum curialium personarum dignitatem et qualitatem eorum, quibus illate sunt, ut eorum, qui faciunt, et quando et ubi hujusmodi temeritates presumuntur: et sic ferant sententiam, quia non ad ipsos dumtaxat, set ad regie dignitatis spectat offensam. XXXV.

XIV.

De crimine falsi.

1. Qui litteras regias aut mutat, aut quas ipse scripsit notho sigillo subsignat, capitaliter puniatur. XX.

2. Qui falso instrumento utitur nescius, falsi crimine non punitur. XXIII, 1.

*) villenu *supra lineam in codice.*

XXI, 1. 3. Adulterinam monetam cudentibus vel scienter eam suscipientibus et utentibus penam capitis irrogamus et eorum substantias publicamus. Consentientes etiam hac pena ferimus.

ib. 2. 4. Qui nummos aureos vel argenteos raserit, tinserit, vel aliquo modo minuerit, tam personas eorum quam bona omnia publicamus.

XXIII, 2. 5. Qui falsitatem testibus astruxerunt, falsi pena coherceantur.

XXIV. 1. 6. Motor testamentorum, et publicorum instrumentorum celator, deletor, perversor eadem pena teuetur.

ib. 2. 7. Si quis patris testamentum aboleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privetur.

XXV in. 8. Qualitas persone gravat et relevat penam falsi.

XV.

De conjugiis.

XXVII. Sancimus lege presenti, volentibus omnibus legitimum contrahere matrimonium necessitatem imponi, quatenus post sponsalia celebraturi nuptias sollempniter, quisque pro modulo suo seu quomodolibet limen petat ecclesie, sacerdotam benedictionem post scrutinium consecuturum anulum ponat, preci postulationique sacerdotali subdantur, si voluerint futuris heredibus successiones relinquere. Alioquin amodo molientes contra regale nostrum edictum neque ex testamento, neque ab intestato habituros se legitimos [filios] heredes ex illicito matrimonio per nostram sanctionem noverint procreatos; mulieres etiam aliis nubeutes legitimas dotes debitas nou habere. Viduas vero volentibus ducere hoc necessitatis vinculum relaxamus.

XVI.

De crimine adulterii.

XXVIII, 1. 1. Generali lege sancimus: quotiens nostra provisione et ordinatione vicariam regentibus accusatio adulterii vel stupri fuerit presentata, oculo nou caligante personas despicere, conditiones notare, etates et consilium animi investigare, si deliberatione et consultatione vel lubrico etatis proruperint ad facinus vel prolapse sint, an dolore maxime maritali: ut his omnibus perquisitis, probatis vel manifestis non de rigore iuris, set de lance equitatis super commissis excessibus levior vel asperior sententia proferatur. Sic enim profecto justitia nostra justitie divine respondet.

ib. 2. 2. Legum igitur asperitate lenita nou ut olim gladio agendum, set rerum ad eam pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato vel alio non habuerit. Iniquum enim est eos successione privari, qui nati sunt eo tempore, quo thori lex legaliter servabatur: aut viro tradenda est, nullatenus ad vite periculum sevituro; set ultione thori violati nasi truncatione, quod sevius et atrocius inducitur, persecator; ultra enim nec viro nec parentibus sevire licebit. Quodsi vir ejus noluerit in eam dare vindictam, nos hujusmodi maleficium nou sinemus inultum, precipimus igitur publice flagellandam.

ib. 3. 3. Qui coram se spectante vel arbitro permittit eum ganeis conjugem suam lascivire, non facile nostro judicio poterit accusari. Viam quippe peccandi aperit qui, cum possit prohibere, consentit.

ib. 4. 4. Quamvis uxorem suspectam quis habeat, quamvis famosam, si tamen fidem habet, eum lenocinii non damnamus. Quis enim jure alieni thori inquietet quietem? Quodsi patenter de-

prehenderimus quempiam habere incestuosam uxorem, dignam mox sequemur pene vindictam; eum quoque pena infamie condempnamus.

5. Femine penitus et adulterii et stupri prestentur immunes judiciaria severitate, quas vilitas vite dignas legum observatione non credidit, sicut ministre caupone. ib.

XVII.

De meretricibus.

Que passim venalem formam exhibuit et vulgo prostitutam se prebuit, hujus criminis accusationem amovit; violentiam tamen ei ingeri prohibemus et inter boni testimonii feminas habitare vetamus. XXIX, 1.

XVIII.

De accusatione adulterii.

1. Adulter et adultera simul accusari non possunt; alter singulariter est accusandus et rei exitus expectandus. Nam si adulter defendi poterit, mulier est secura nulli ulterius responsura; si vero fuerit condempnatus, tunc demum mulier accusatur. XXIX, 2.

2. In Co.[1] De crimine adulterii pacisci non licet, et par delictum accusatoris, prevaricatoris et refugientis veritatis inquisitionem. Qui autem pretium pro comperto stupro accepit, pena legis Julie de adulteriis tenetur. Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non posse nemini dubium est.

3. Lex delectum non facit, quis primum debeat conveniri. Set si uterque est presens, vir conveniendus est primum. ib. 3.

4. Repudium in hac accusatione pretermittendum; neque violentia seu detentio adhibenda. ib. 4.

XIX.

De officialibus reipublice.

Officiales reipublice vel judices, qui in tempore amministrationis pecunias publicas subtraxerunt, obnoxii crimine peculatus capite puniuntur, nisi regia pietas indulserit. Qui sua negligentia bona publica deperire vel minui permiserit, et in persona propria et in rebus suis constituetur obnoxius; et hoc prospectu regie pietatis. XXV. XXVI, 1.

XX.

De furtis.

Qui sciens furanti sinum prebuit, eadem pena tenetur. XXVI, 2.

[1]) *ex const.* 10. 11 *Cod. Ad legem Jul. de adult. IX*, 9.

XXI.

De crimine lenocinii.

XXX. **Lenas sollicitantes alienam castitatem, genus criminis pessimum, tanquam ipsas adulteras puniendas presenti lege sancimus. Matres, virgines filias venalicias proponentes et maritalia federa fugientes, ut lenas ipsas persequimur, scilicet ut nasus earum abscidantur. Castitatem enim et virginitatem suorum viscerum vendere inhumanum est et crudele. Quodsi filia se ipsam prostituit, mater vero tantum consentit, judicis arbitrio relinquetur.**

Co.[2] Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio tenuerint, non qui suspectam adulteram habuerunt.

XXII.

De eodem.

I, 1. Si providentia regie celsitudinis nullo modo patitur intra regni nostri limitem baronum nostrorum quemlibet alterius castrum invadere, predas committere, cum armis insurgere, vel inique fraudari, quin pro commisso bonorum omnium ipsum jactura afficiat: quanto amplius dampnandum censemus, si comparis vel et vicini thorum violare presumpserit quis? intolerabile prorsus de jure videtur. **Sancimus itaque, si de tali facto nobis aliquando fuerit proclamatum et manifestum fuerit vel probatum, bonorum omnium mulctatione plectendum.**

XXIII.

De vindicta adulterantium.

XXXI, 2. Si maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam adulterum quam uxorem occidere
XXXII. licebit, nulla tamen mora protracta. Lex maritum lenocinii pena coheret, qui uxorem in adulterio deprehensam retinuit adulterumque dimisit, nisi forte sine culpa sua ille diffugit.

XXIV.

De desistentibus ab accusatione.

XXXIII. Qui post crimen adulterii intentatum uxorem receperit, destitisse videtur; ideoque suscitare questionem ultra non poterit.

XXV.

De plagiariis.

XXXVII. Qui sciens liberum hominem vendiderit, hac pena legitima teneatur, ut ex bonis suis venditus redimatur, ipse vero maleficus curie servus sit, bonorum suorum residuo publicato. Quodsi ex rebus ipsius redimi non poterit, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis ejus curie addictis. Quocumque autem casu venditus redeat, maleficus curie servus fiat, filiis etiam ejus post hunc casum nascentibus subjectis[b] curie perpetua servitute.

---

b) subjecti sint *cod.*

2) *ex const. 2 Cod. Ad legem Jul. de adult. IX, 9.*

XXVI.

De sicariis secundum legem Cornelìam.

1. Qui aggressorem vel latronem in dubio vite discrimine constitutus occiderit, nullam ob id XXXVIII.
facinus calumpniam metuere debet.

2. Qui[3] aggressorem ad se venientem ferro repulerit, non homicida, set defensor salutis est.

3. Nocturnum furem qui occiderit inpune feret, si aliter conprehendi nequiverit, si modo cum XL.
clamore id fiat.. Infans sine malignitate animi et furiosus si hominem occiderit, non tenetur. Quia XXXIX.
alterum innocentia consilii, alterum fati infelicitas excusat. Nichil interest, occidat quis, an mortis XLI.
causam prebeat.

4. Qui de alto se ipsum precipitat et hominem occidit; qui ramum incautus deiciens non pro- XLII.
clamavit, seu lapidem aut aliud dejecit hominemque occidit: huic pene subjacebit.

XXVII.

De incendiis.

Qui dolose domum incenderit capitis pena plectetur, velut incendiarius. XLI.

XXVIII.

De noxiis medicaminibus.

Poculum amatorium vel aliquem cibum noxium quisquis instruxerit, etiamsi neminem leserit, XLIII.
inpunis non erit.

XXIX.

De eisdem.

Mala[4] et noxia medicamenta ad alienandos animos, seu venena qui dederit, vendiderit, habuerit, capitali sententia feriatur. Const. III, 41, 1 (69.)

XXX.

De judice depravato.

Si judex accepta pecunia reum quem criminis et mortis fecerit, capitis periculo subjacebit. XLIV.
Si judex fraudulenter atque dolose sententiam contra legem protulerit, auctoritate judiciaria irrecuperabiliter cadat, notetur infamia, rebus ejus omnibus publicatis. Quodsi jurie ignorantia a juris sententia aberraverit ferens judicium pro simplicitate manifestum, regie misericordie subjacebit. In maleficiis voluntas spectatur non exitus. XLI.

---

[3]) *ex const.* 3 *Cod. Ad leg. Corn. de siccar. IX*, 16. [4]) *ex fragm.* 3 *pr.* § 1. 5 *D. Ad legem Corn. de siccar. XLVIII*, 8.

XXXI.

De arripientibus novam militiam.

XIX. Quicumque novam militiam arripit contra regni nostri beatitudinem et pacem sine integritate militie nomine et professione penitus cadat, nisi forte a militari genere per successionem duxit prosapiam.

C. L. XII. De tiro[nibus] Nullus tiro ga..aut.[1]

XXXII.

De injuriis privatorum.

XXXIV. Cuicumque de popularibus ex consilio tamen et deliberatione barba fuerit depilata,[a] reus solidorum aureorum VI regalium pena condempnetur. Si vero in rixa factum fuerit sine deliberatione, solid. III.

---

[a]) vel jumenti cauda decerpitur *in margine codicis additur.*

[1]) *legendum* Nullus tiro vagus aut; *ex const.* 1 *Cod. De tironibus XII*, 44

Corrigenda.

pag. 12 *lin.* 16 *legendum:* et capitibus XVI. XXII. XXXVI.

pag. 16 *lin. ult. legendum:* [s]) sciti *cod.*

pag. 24 *ad XXIV*, 2: cf. fragm. 26 D. Ad legem Cornel. de falsis XLVIII, 10.